

## Tempore

tempus vite nostre accipit. Per totam enim vitam nostram decalogus legis diuine quod conformiter amplecti debemus et adimplere viz dilectione. cognitione. locutione. operatione. que enim aliquis sincere diligit libenter de eo cogitat et loquitur et seruit aut obsequitur. **R.** De secundo nota quod per desertum mundus iste exprimitur. Sicut enim in deserto materiali pauca sunt mansueta animalia. id est mansueta sic etiam in mundo isto pauci sunt qui sequantur dominum cum tamen ipse manus suam aperiat et impieat omnem animal benedictione. Plures enim sunt in mundo quos dominus de rore celi et de pinguedine terre diuites fecit qui tamen sicut mansueta animalia non sequuntur imo potius sicut fere bestie persequuntur. Indueit enim naturam leonum per superbiam. vulpium per luxuriam. luporum per auaritiam. et vulpium per nequitiam. De tercio nota quod ideo ihesus ductus est in desertum. Sic etiam nos qui sumus membra ihesu christi propter hoc expulsi sumus in hanc vallem miseriam ut temptemur a demonibus quibus adiuuato septiformis spiritus resistere debemus ut resistentes vincamus et vincentes gloriose coronemur in celis. Unde legitur. **Mar. 1.** quod spiritus expulit ihesum in desertum et erat ibi. 40. diebus et 40. noctibus et temptabatur a sathana eratque cum bestiis. Ibi dicitur glossa. quod quadragenarius numerus totum tempus signat quo membra eius dyabolus temptat. Nota igitur quod hostes nostri et temptatores sunt demones quorum officium est christianos per temptationes exercere. Unde et **Eph. 6.** Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem tamen sed aduersus principes et potestates aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitie celestium. Ductor autem noster et defensor est spiritus sanctus cui commissi sumus in baptismo. Unde ad **Ro. 8.** Qui cum spiritu dei agunt hi sunt filii dei. **S.** Item nota quod dyabolus primus adam per tria vicia superauit. viz per gulam. auaritiam et superbiam. Per eadem etiam homo adam. ihesum christum temptans superatus est. unde dicitur glossa. Nota dyabolum in his viciis in quibus adam viciat quod de gula temptauit eum de ligno vetito gustare rogauit. De vana gloria cum dicit. **Eratis sicut dii.** De auaritia cum ait. **Scientes bonum et malum.** Item dicit alia glossa. in his tribus. gula. auaritia et superbia. omnia vicia sibi federata sunt temptata. In his tribus omnia genera temptationum comprehenduntur. Nota igitur quod dyabolus temptauit dominum per tria que sunt radices et origo omnium peccatorum. Primo temptauit eum per gulam dum dixit. **Si filius dei es dic ut lapi. isti panes fiant.** et fugiamus et nos itaque gulam ne prosternamur per luxuriam que nascitur de gula. Unde glossa. **Origen.** In pugna christi prius agit contra gulam ieiunando per quam victus est primus homo. Gula libidines inflammat. cupiditatem nutrit que repugnat legi mentis